


insert Nomina Discipulorum, qui ex Institutione Bohemi Rect. egressi, vel
ad officia publica vocati, vel gradus honorum consecuti sunt.

n. 76, 42.

Ya
3302



X 200 5164

Actum Septimum Progymnasticum
juxta Præcepta Aphthonii,
De Loco Communi,

Contra vitia moderno mundo maximè
familiaria,

Ad Diem 5. Maii horis ab Octavâ matutinis

Anno 1657.

intimat

M. JOH. BOHEMUS, Rector.



E Calcographæo Sexffertiano.



Vamvis DEI Optimi

Maximi, qui ἐπερὺμνησθε καὶ ἐ ἐρέυδοξθε
 in secula, in quo vivimus, movemur & su-
 mus, cuiusq; immensa in nos quovis diluculo sese sub-
 inde renovat misericordia, inexhaustam Bonitatis a-
 byssum, ac Beneficia, quæ nobis singulis momentis ex-
 hibet, summa, nemo unquam sat dignè celebrare que-
 at; ita enim prorsus sentio, Ciceronem ipsum & De-
 mosthenem, si communi studio ad ea celebranda, quic-
 quid habuerunt in dicendo facultatis, conferrent, o-
 mnesq; eloquentiæ vires periclitarentur, omnia tamen
 horum dignitate inferiora dicturos: attamen quum
 divina Scripturæ sacræ oracula ad amplissima hæc DEI
 beneficia commemoranda & de prædicanda hinc inde
 nos exsuscitent, & Regius Psalter Angelos, homines,
 adeoq; omnes creaturas ad laudandum DEUM horte-
 tur, nihil prius, nihilq; antiquius nobis esse ducamus,
 quàm ut hæc beneficentiæ munera nobis quovis die, si
 ulterius progredi non datur, in memoriam revocemus.
 & Juventuti nostræ seriò inculcemus, citra omnem in-
 termisionem cum Davide ingeminantes: benedicam
 Domino in omni tempore, semper laus eius in ore
 meo.

Psalm. 148.

Ps. 34. 28.

*Lauda anime ô Dominum, quâ par est, tolle, nec unquam
 Non meminisse, tibi quæ dedit ille, velis.*

Quum enim nihil sit quod malimus, quàm gratos
 nos esse & videri erga eos, qui benè de nobis sunt me-
 riti:



riti: qualesnam quæso erga DEUM nos esse oportet: & cuius tot tantaq; in nos exstant promerita, ut ea ne percensere quidem numerando, nedum enarrando complecti valeamus? Etenim singulis DEI in nos diligenter & consideratis & ponderatis beneficiis, vix planè statuere possumus, quodnam ex illis maximè commendandum sit celebrandumvè.

Nos cætera omnia silentio modò præterimus, & in præsens illam duntaxat Gratiam, quæ omnino summa, quæ *Institutioni nostræ* hæctenus benedixit clementissimè, pensiculatius excutimus, expendimus, & gratissimâ mente deprædicamus, occasionem inde arripientes, dum iterum *Quidam & Discipulis* nostris hincâ nobis cum laude & fructu in Academiis sunt discessuri. Præstitit videlicet ille, à quò omnia Bona, quod apud Prophetam pollicetur: בחירי לא יגעו לריק *Es. 65, v. 23.* *Electi mei non laborabunt frustra.* Ita enim benedixit hæctenus laboribus nostris, ut per hos Septendecim, annos, quum hic publicè doceo, ex Informatione meâ non pauci per divinam gratiam, eiusmodi, quod poterit publica fama loqui, profectus in studiis consecuti fuerint, ut partim jam in vineâ CHRISTI, gloriæ divinæ propagandæ industriè & feliciter inserviant; partim Gradus Honorum in Academiis consecuti, Testimonio publico digni dijudicati fuerint, quibus munia & officia publica obounda tutò committi possint, partim ad alia munera, quibus cum laude funguntur, digressi Scholam hanc matrem & nutricem honorent atq; venerentur.

Hanc divinam benedictionem minimè tacebimus, sed venerabundâ animi pietate celebrabimus

perpetuo, partim ne ingrati in Deum esse videamur: præsertim, quum, quod Regum sapientissimo Salomone discimus Præceptore, à domo ingrati malum non sit recessurum. Quandoquidem præter gratiarum actiones nihil aliud rependere habemus. Nam, ut Prudentius Christianorum Poëtarum, ut cum Taubmannus vocat, prudentissimus inquit:

Catbem.
hym. III. 36.

*Quod generosa potest anima,
lucis & ætheris indigena,
solvere dignius obsequium?
quàm data munera si recinat
Artificem modulata suum?*

Senec. 3. de
Beneficiis
c. 30.

Lucan. l. 1,
v. 120.

Partim ut Prædecessorum suorum præclaris exemplis Nostris ad imitationem similis diligentiae ac studii accendantur. Non satis dici potest, quantum opere honesta hæc æmulatio ingenuas mentes excitet, ut quæ turpe atque ignominiosum sibi ducat, cedere pari: pulchrum & honestum Honoratiores superare. Naturam enim gloriosa est virtus, & anteire priores cupit.

Stimulos dedit æmula virtus.

Quemadmodum enim ferrum ferro acuitur: & lapide lapis contritus ignem emittit: ita æmulatione præclara erectaque ingenia ad studium & diligentiam inflammantur.

Ovid. l. 3.
de Arte.

*Tunc benè fortis equus reserato carcere currit,
Quum quos prætereat, quosve sequatur habet.*

Sequuntur ergo jam juxta seriem Alphabeticam Nomina eorum, quæ haberi potuerunt, qui hætenus ex institutione meâ egressi vel ad officia publica vocati, vel Gradus Honorum consecuti sunt. Reliquis, qui vel ad

Oeco-

Oeconomiam & res familiares vel ad officinas &c.
prodierunt, vel qui adhuc in Academiis Studiis ope-
ram navant, vel alibi locorum degunt, hic non anno-
tatis.

*Adam Samuel Freystein Dresdensis J. U. Licentiatuſ, &
Advocatuſ Lipſ.*

*M. Aegidius Cruſius Belgerenſis Diacon. Eccl. Brehnenſis.
Andreas Baudiuſ Mühlbergeniſ Paſtor in Schmiedefeld &
Harte prope Pirnam.*

Andreas Heuſler Diaconuſ Dobnenſis in Patriâ.

*Auguſtinuſ Eckſtein Marienbergâ Miſn. Paſtor in Lauter-
bach/ Rittersberg & Lauda.*

M. Auguſtuſ Laurentiuſ Dresdenſis.

*Caroluſ Spalteholz Camentianuſ Scholâ Scandavieniſis
Rector.*

Cäſpar Weiſe Miſnenſis, Diaconuſ Ortrantieniſis.

M. Chriſtianuſ Ehrenhauß/ Craulâ-Thuringuſ.

Chriſtianuſ Fridericuſ Wildeck Dresd. J. U. Candidatuſ.

Chriſtianuſ Zentſch Dresd, Paſtor Noſocomii Dresd.

M. Chriſtian Laurentiuſ Dresd. Paſt. in oppido Sebniz.

M. Chriſtianuſ Luciuſ, Dresd. Paſtor Ortrantieniſis.

Chriſtianuſ Müller Dresdenſis J. U. Candidatuſ.

Chriſtianuſ Rebebold Torgeniſis, J. U. Lic.

Chriſtophoruſ Brauer Ditterſd. Paſtor in Liebenau.

Chriſtophoruſ Horn Dresd. Paſtor in Pabſdorff.

M. Chriſtophoruſ Walrich Dobelenſis.

Conraduſ Tzſchoch Brockwicieniſis. Quaſtor Annaberg.

Daniel Becker Pirnenſis Paſtor in pago Schellerau.

*Daniel Tronicke Dresd. Rector Scholæ Buxdameniſis in
Marchiâ. †*

Daniel Weizman Pulſnicensiſ, Paſtor in Marchiâ.

David

David Bohemus Glashüttens. Cantor Ortrantiensis.

David Ditterich Sebnicens. Past. prope Lips. †

David Fleck/Lauensteinensis, Pastor in Pomeraniâ non procul
à Stetino.

David Sander Cygneâ-Misnicus, Diaconus Sayde.

M. David Strauch Dresdensis.

Donatus Schomer Grimmensis, Pastor in Schenckenberg. †

Elias Hartman Stolpensis, Schola Patriæ Cantor.

Ernestus Bohemus Islebiensis Pastor prope Islebiam.

M. Eusebius Simon Dresd. Pastor in Keinersdorff.

M. Fabianus Wenceslaus Lauenst. Pastor in Lauenstein.

M. Fridericus Bürger Dresd. Pastor in Somsdorff.

Fridericus Klingier Romb. Bohemus Pastor in Taubenheim
in Lusatia.

Georgius Fischer Senfftenb. Achidiac. in Patriâ.

Georgius Keyser Elstrâ-Lusatus, Pastor. in Lusatia.

Georgius Michaël Pezoldus Oderâ Misnicus, Pastor in Ba-
sens prope Freibergam.

M. Georgius Nitner Pulsnicensis, Pastor in Rosenthal.

Georgius Steinfeld Neodorffensis Bohemus, Past. in Pomer.

Georgius Wagnerus Rotenburgo-Lus. Pastor in Lusatia.

Georgius Weyman Henichensis, Past. in Oberaw.

Gottfried Dexelius Chemnicensis, Pastor Ecclesie Gleisber-
gensis sub inspect. Freiberg. †

Gothofredus Gebauer Pulsnicens. Past. in Ober Lichtenau.

Gottfried Volhard Dresd. Quæstura Electoralis Dresd.
Adjunctus.

Günther von Bünau è Domo Lauenstein Sereniss. Ele-
ctor. Saxon. Cubicularius.

Jacobus Ernestus Taubenest Dresdensis.

Jacobus Mickwitz Camentio-Lus Pastor in Marchia,

M. Jere-

- M. Jeremias Constantinus Kundman Pontano-Bobemg.
M. Immanuel Gerber Mitwedensis, Pastor in Kolmen pro-
pe Colditium.
Johan. Caspar Curio Dresd. J. U. D. Rev. Capituli Misn.
Syndicus, †
M. Johan. Andreas Lucius Dresd Eccles. Patriæ Diaconus.
M. Johan. sam. Zimernan Dresd. Diac. in veteri Dresdâ.
M. Johan. Jeremias Faber Dresd. Pastor in Heckendorff.
M. Johan. Simon Dresd. Schola Witeberg. Conrector.
M. Johan. Georgius Willius Dresd. Pastor in Zettelitz sub
Inspect. Chemnicensi.
M. Johan. Christophorus Schmid Dresdensis.
M. Johan. Fridericus Starck Dresdensis.
Johan. Hierichius Dresd. Ludimoderator Schola Dohnens.
Johan. Jacob Wagner Rotenb. Lusatus Medic. Lic.
M. Johan. Vogelhaupt Scheibenb. Misn. Rector Schola
Annebergensis.
Johann Grünner Neustadiensis, Schola Altenberg. Rector.
Johan. Bircke Camentio Lusatus, Pastor in Uvist sub Am-
plis. Senatu Budisfinensi.
Johan. Christophorus Wagner Königsteinensis, Pastor in
Marchiâ.
M. Johan. Pueritius Neofano Variscus Past. in Ebersdorff.
Johan. Christophorus Moyses à Kirrberg Schlakow Bobem.
Johan. Christophorus Wagner Pastor in Fenchland/
Klieknieck und Derben.
M. Johan. Joachimus Cocceius Dippoldiswaldensis. †
M. Johan. Hommel Chemnicens. Misn.
M. Johan. Georgius Müller Misnensis.
Johan. Ravius Kiriziâ-Marchicus Poliographus in Patria.
Johan. Kreische Lauensteinens. Cantor Schola Neustadens.
Mar-

Martinus Simon Tharant. Past. in vorder Gersd. prope Thar.
Martinus Strahl Dresd. Pastor in Langenau.
Martinus Stubritius Radeburg. Misn. Advocatus Ordin.
supremae Curiae Electoralis apud Budisineses.
Martinus Herrman Glasbuttens. Pastor in Marchia. †
M. Martinus Heine Dippoldswald. collega Tertius Scholae
Scandaviensis in Marchia.
Matthaeus Lebman Senftenbergensis Eccl. Patriae Diaconus.
Mauritius Junghans Altenberg. J. U. Practicus.
Michael Gerber Mitwed. Cantor in Rochlitz.
Michael Günther oder à-Misn. Cantor Pulsnicensis.
Michael Hempel Elstra-Lus. Past. in Porekau bey Elster.
Michael Seyler Luckowald. Saxo, Past. in Schönborn.
Nicolaus à Gersdorff Eques Lus. Seren. Elect. Sax. Consil. Aul.
M. Paulus Herpestis Geisinga-Misn. Past. Scaffensis.
Paulus Peucerus Lippa-Bob. Ludimoder. Scholae Sebnicensis.
Rudolphus Franke Elstra-Lusat. Ludimoderator & Polio-
graphus in Königstein.
M. Samuel Manitius Franckensteins P. L. C. Ecclesiae
Camertianae Pastor Primarius.
M. Samuel Strauch. Dresd. Pastor ad D. Anna, Dresda.
M. Samuel Martini Pirnensis.
M. Samuel Rülcerus Pirn. Pastor in Döten. †
M. Sebastian Göbelius Dresd. concionator Sabbaticus Lipsiae.
Sigismundus Schneider Freib. Alumn. Scholae Dresd. Regens.
Theodorus Manitius, Past. in Kennersdorff prope Gorlitzium
Theodorus Wagner Heckendorff. Pastor in Burckersdorff
superioris Lusat.
Tobias Nauman Toplicensis Boh. Seren. Reg. Sveciae Secretar.
M. Tobias Simon Dresdensis. †
Tobias Zimmermann Wolff. Rector scholae Glücksbergensis.
Wolfgangus Helmert Pausa-Varicus, Cantor Scholae Mit-
weidensis.

Hi

Hi sunt, quos equidem in praesens novi, qui tanto apud nos per hos septendecim annos, hic loci, JOVA benedicente, in Studiis fecerunt progressus, ut Eos hic publicè & cum honoris praefatione laudare queam omninò. Profitemur sanè, repetam illa ipsa verba, quibus paucis abhinc annis usus, nos nullum habere infundibulum, quò (absit illa arrogantiae jactantia, quæ plerumq; cum vanitate conjuncta,) Eruditionem NOSTRIS vel paucis diebus, per nescio quæ compendia, dixissem propè dispendia, infundere possumus, quemadmodum quorundam Infundibulificatorum mangonia lenocinantur, quibus non aliter ac plebeiae animæ Sephariariorum & Agyrtarum circumforaneorum technis ac officiis, quam plurimi, etiam satis oculati, quos Arabes *Hadikuna* eleganter nuncupant, nostrâ imprimis memoriâ, ingeniosè decepti fuerunt, ut non tantum sumptus, sed & tempus, cuius *πολυτελέσαστον ἀνάλωμα*, frustra insumpserint. Cicero sapientius monere videtur, qui ita: *Discuntur ista faeilè, si & tantum sumas, quantum opus est, & habeas, qui fideliter docere possit, & scias etiam ipse dicere.* Otium in literis collocandum, quod multo otiosissimis occupationibus perdunt. Habitus non nisi crebrâ comparatur actione: et receptivum, quod & alibi ex Scaligero laudavi, non recipit per modum imprimentis, sed per modum receptivitatis in recipiente.

Ego pro hac talenti concessi lucto hoc est, pro tuâ, BENIGNISSIME DEUS, qui solus es, & unus benedictus benedicendus per seculorum myriadas, benedictione gratias ago devotissimas. Hoc enim omne quod in nobis operatus es, non nostris viribus sed tibi soli

Hadikon acutus mente, acumen habens, subtilis, à Rad. hadaka ingeniosè & artificiosè aliquid excogitare & facere, binchadakina, consideratores dicuntur quasi res propositas acutè & ingeniosè perpendentes & explicantes. Vide Lex. arab. Golii pag. 587. & Raphael. Lex. arab. pag. 87.

B

soli



soli unice in acceptis ferendum. Tua hæc sunt inæsti-
mabilia, ineffabilia, immensa beneficia, quibus jam
per triginta annos informationi meæ in locis celeberrimis
ita benedixisti gratiosissimè. Erunt itaq;

Qui tua latifico celebrabunt nomina cantus,

Quiq; pio memores exsolvent pectore grates.

Erunt etiam, ubi fuero ipse, viri Boni & Pii, qui vel
manus quoq; Bohemi venerabuntur. Et jam tum plu-
rimi sunt, quod bona hora exaudiat! etiam magni No-
minis Viri in magnis Honoribus & Dignitatibus consti-
tuti, qui optimè novere ipsi, quo cultu suum debeant
revereri Præceptorem.

Aspides quasdam, & quosdam ophigenes sive Psyl-
los, quorum omnis gratitudo in lingvæ rabie sita est,
parùm curo, decretum Demosthenis teneo: τῆς τῶν
διαβαλλόντων βλασφημίας ἔργω ἀπολύεσθαι, calumniar-
tium maledicta bonis factis diluere. ἀλλὰ τὸ μὲν ἀκρίβει

Horat. l. 2. αὐτῶν γὰρ ἐτέρους καιροῖς δηλώσομεν Abrumpo. Me cunctis

Sat. l. v. 76. Magnis vixisse invita fatebitur ipsa Invidia, & fragili qua-
rens illidere dentem offendet solido.

Convertimus nos iterum ad te Clementissime
DEUS, teq; seriis votis ac ardentibus precibus invoca-
mus, ut & in posterum laboribus nostris ita clementer
ac gratiosè ad Nominis tui gloriam, benedicere velis,
MAGISTRATUM nostrum, quem largitus es nobis ha-
ctenus pium, benevolum ac benignum, conservare,
Eumq; tua gratiâ gubernare, ut eandem animi men-
tem, quam hactenus satis perspeximus, & favorem, in
nos retineat perpetuò, quò sub eius tutela Schola
nostra & proporrò conservetur, ut ex hac semper Pii,
boni & docti prodeant, & honesta studia, quæ gloriæ di-
vinæ velificantur, propagentur. Sint, qui beneficiant, sint,
qui benefacta aestiment, & benè collocent! Fove

Fove porrò Scholam nostram cœlesti tuo calore, ut quæ ad hunc usq; diem in benignitatis tuæ gratiâ & crevit & floruit, jam de novo quasi revirescere incipiat, & sit hortus quidam amœnissimus, in quo omnis generis arbores, non tortuosæ, sed rectæ, non incurvæ, sed excelsæ, non steriles, sed fœcundæ plantentur, adolescant, maturescant, & fructus expectatione dignos hominum generi in quovis humanæ vitæ STATU adferant. Fortuna de cœlo nobis labores nostros, ut & deinceps tempore ex hoc sanctitatis tuo templo, pietati, lingvarū, bonarum Artium studiis consecrato, innumeri prodeant Adolēscētes Ecclesiæ & Reipublicæ utiles, ut quivis Pius inclutæ DRESDÆ nostræ, Musarum Nutrici benignissimæ de hac gratiâ divina, de hac benedictione, de hac felicitate gratulari queat. Rege & Docentes & Discētes! Da plantantibus & rigantibus incrementum! da Pacem & concordiam, quæ optima rerum, quas homini novisse datum est.

Quum Paulus serit, & rigat arva fidelis Apollo,

Conjunctas operas prosperat ipse DEUS.

Atq; sic, quemadmodum hætenus, ita & in posterum, corde & ore ingeminabimus tibi solemne illud Prophetæ: יהוה כל מעשוננו פעלת לנו : Domine opera nostra operatus es in nobis. Non procul sum à portu, cui jam invehitur oratio. Exhibemus jam *Septimum Actum Oratorium Aphthonianum Progymnasticū de Loco communi*. Locus Communis, sumitur 1. pro Argumentis Rhetoricis, quæ vocantur inartificialia, ceu sunt leges, Testes, pacta, quæstiones, juramenta 2. Pro quæstione seu causâ illâ, quam copiosè Actor impugnat; Reus defendit. 3. pro sententiis & præcipuis capitibus alicuius disciplinæ: qualis est locus de DEO, de Justificatione, de prudentiâ, de Meteoris, &c. 4. Pro oratione, quâ citra denominationem personarum certarum, vel virtutum aliquam extollimus, vel in vitia peroramus. Hoc ultimo modo hic locum accipitur

Es. 26, v. 12.

Micr. pag. 170. seq.

11a 3302
Locus communis in Progymnasmatibus nostris. *Locus* appellatur, quod sedes sit & domicilium, unde orationis exaggeranda materia educi potest. *Communis* autem, qui communiter convenit atq; congruit omnibus, quæ participant de istâ re, circa quam *Locus Communis* versatur. Sic quæcunq; in genere dicuntur de justitiâ, illa postmodum Aristidi, Catoni, Abrahamo, & cœteris justis accommodari possunt. Non enim agit de singularibus & individuis; non de castitate Josephi, de fortitudine Samsonis, aut tyrannide Phalaridis: sed de universalibus in genere, de castitate, fortitudine & tyrannide, quatenus omnibus, qui virtutibus aut flagitiis istiusmodi celebres sunt, conveniunt. Plura vide apud Michaeliana.

In *Loco* ergò *communi*, quatenus separatim in Progymnasmatibus Rhetoricis tractatur, NOSTRI vires ingenii sui periclitabuntur. Hoc autem ordine suo fungentur munere.

Christophorus Ursinus Henichensis Misnicus, præloquetur, corruptos mores vituperabit, suosq; Condiscipulos rogabit, ut, amore virtutum, singuli in singula illa vitia invehantur, quæ quidem putent omnium esse maxima & perniciosissima.

David Heydenreich Rochlicensis Misn. carminicè in Superbiâ.

Johan. Bernhardus Schale Augustiburg. Misn. in Avaritiam.

Elias Conradus Dresd. in Fraudulentiam seu Politicam simulationem.

Johan. Ernestus Hering Dresd. in Ebrietatem.

Heinricus Beinrad Dresd in verbi divini contemptum.

Christophorus Ursinus Henichensis demonstrabit ex contemptu verbi divini cœtera vitia, in quæ *Locus Communis* factus est, propullulare, & suorum Condiscipulorum nomine valedicet, totumq; Actum gratiarum actione concludet.

Nos abeuntes eruditos Juvenes, favore & amore dignos, omnibus Bonis, & Literarum Patronis, ex animo commendamus, ipsisq; Spiritus Sancti gratiam, divinam benedictionem, omnigenamq; prosperitatem precamur. P. P. in Electorali Dresd d. 5.

Maii Anno 1657.

Soli Deo Gloria!

1077

n.

enset Nomina Discipulorum
ad officia publica v

n. 76, 42.




Actum
De L
Contra
Ad Diem

M.
E

est. egressi, vel
riti sunt.



05164



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Kodak
LICENSED PRODUCT

KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

